

SENATUSCONSULTUM DE BACCHANALIBUS

(1) Q. Marcius Luci filius, Spurius Postumius Luci filius consules senatum consuluerunt Nonis Octobribus apud aedem (2) Bellonae. Scribendo adfuerunt M. Claudius Marci filius, L. Valerius Publi filius, Q. Minucius Gai filius.

De Bacchanalibus, qui foederati (3) essent, ita edicendum censuere:

«Ne quis eorum Bacchanal habuisse vellet. Si qui (4) essent, qui sibi dicerent necesse esse Bacchanal habere, ei ut ad praetorem urbanum (5) Romam venirent, deque eis rebus, ubi eorum verba audita essent, ut senatus (6) noster decerneret, dum ne minus senatoribus centum adessent, cum ea res consuleretur. (7) Bacchas vir ne quis adisse vellet civis Romanus neve nominis Latini neve sociorum (8) quisquam, nisi praetorem urbanum adissent, isque de senatus sententia, dum ne (9) minus senatoribus centum adessent, cum ea res consuleretur, iussissent.

Censuere.

(10) Sacerdos ne quis vir esset. magister neque vir neque mulier quisquam esset. (11) Neve pecuniam quisquam eorum communem habuisse vellet. Neve magistratum (12) neve pro magistratu neque virum neque mulierem quisquam fecisse vellet. (13) Neve posthac inter se coniurasse neve convovisse neve conspondisse (14) neve compromisisse vellet, neve quisquam fidem inter se dedisse vellet. (15) Sacra in occulto ne quisquam fecisse vellet. Neve in publico neve in (16) privato neve extra urbem sacra quisquam fecisse vellet, nisi (17) praetorem urbanum adisset isque de senatus sententia, dum ne minus (18) senatoribus centum adessent, cum ea res consuleretur, iussissent.

Censuere.

(19) Homines plus quinque universi, viri atque mulieres, sacra ne quisquam (20) fecisse vellet, neve interibi viri plus duobus, mulieribus plus tribus (21) adfuisse vellent, nisi de praetoris urbani senatusque sententia, ut supra (22) scriptum est.»

Haec ut in contione edicatis ne minus trinum (23) nundinum, senatusque sententiam ut scientes essetis, eorum (24) sententia ita fuit: «Si qui essent, qui adversum ea fecissent, quam supra (25) scriptum est, eis rem capitalem faciendam censuere»; atque ut (26) hoc in tabulam aeneam incideretis, ita senatus aequum censuit, (27) utque eam figi iubeatis, ubi facillime nosci possit. Atque (28) ut ea Bacchanalia, si qua sunt, extra quam si quid ibi sacri est, (29) ita ut supra scriptum est, in diebus decem, quibus vobis tabellae datae (30) erunt, faciatis, ut dimota sint.

TITI LIVI AB URBE CONDITA LIBER XXXIX:

[18] Datum deinde consulibus negotium est, ut omnia Bacchanalia Romae primum, deinde per totam Italiam diruerent, extra quam si qua ibi vetusta ara aut signum consecratum esset. In reliquum deinde senatus consulto cautum est, ne qua Bacchanalia Romae neve in Italia essent. Si quis tale sacrum sollemne et necessarium duceret, nec sine religione et piaculo se id omittere posse, apud praetorem urbanum profiteretur, praetor senatum consuleret. Si ei permissum esset, cum in senatu centum non minus essent, ita id sacrum faceret, dum ne plus quinque sacrificio interessent, neu qua pecunia communis neu quis magister sacrorum aut sacerdos esset.